

SANCTISS. D. N.
GREGORIO XIII
PONT. MAX.
Futurisq. Romm. Pontt. Maxx.

Quinque hoc volumine, pias omnes, omnes Catholicæ fidei consonas, Gregori Pater Beatissimus tibi afferimus philosophias. Nostram recens conditam, Chaldaicam Zoroastri, Hermetis Trismegisti Aegyptiam. Aegyptiam aliam Mysticam, et aliam Platonis propriam. A nobis sane non minimo labore, eruinis vix erutas, in unum collatas, atque illustratas, et in ordines suos scientificos distinctas. Eas omnes, tuo Pat. Sanctiss. nec non etiam futurorum omnium Pontificum Romanum nomini ac numini donamus, dicamus, et consecramus. Atque uni vestro Patrocinio, humiliter ac devote comendamus. Id autem facimus, et ut præsentis meæ erga tuam veram profecto Sanctitatem, venerationis, atque adorationis, perpetuum apud posteros extet indicium. Veterisque erga te observantiae meæ, ac cultus, memoria renovetur. Forte enim recordaberis, quodcum tu adolescentulus cum fratre tuo, Paulo Barone Patavii litteris dares operam, vos unos, et Hieronymum Ruuereum, qui S. R. E. Cardinalis apud te sedet, præter cæteros, qui tum aderant, principes viros, eximie coluerim. Non alia sane de causa, quam quod eximiam modestiam, morumque probitatem, atque animi innatam quandam integritatem in vobis, ego quoque perspiciebam, et suspiciebam maxime. Ac cum apud vos frequens versarer, et iucundissima vestra fruerer humanitate, in aliqua me fuisse apud te presertim, existimatione sentiebam, nonnullamque spem, mei in philosophia profectus te concepisse. Quæ spes ne te fallaret, dialogos de Rhetorica meos, adolescentis, iuniori tibi dicavi. Nunc a seniore me, quamvis privato homine, tibi, licet nondum seni, summo tamen principi, maiora hæc deberi cognosco. Quæ Pontifici tibi Max. tuisque in isto supremo solio successoribus, cur dicari a me debeant, pietatis meæ in Deum ergo, ac paternæ benevolentiae, qua filiam hanc meam dilectam, ac reliquas, opera mea renatas, et ornatas sorores eius, prosequor, et cur a vobis ob paternam debitamque erga totam Christianam Remp. Charitatem, nobilissimæ istæ quinque et piæ sorores, suscipi, foveri, ac protegi debeant, causas audire libeat. Vulgi, et litteratorum etiam multorum animis insedit, plerosque eorum qui philosophiæ operam navant, de fide catholica, non bene, non pie sentire, et aut non recte, aut nihil credere, ridentque passim philosophos, hoc dictorio, iam vulgato, hic philosophus est, in Deum non credit. Neque id sane temere. Vident enim in omnibus Europæ gymnasiis, in omnibus monachorum cœnobii, solam Aristotelis philosophiam, magnis præmiis, et magna cum ambitione doceri. Hanc autem solam (nam Epicurea, quæ in Lucretio vix superest, fere ignota iacet) Deo et omnipotentiam, et providentiam auferre, et sciunt, et audiunt. Quid igitur de eius cultoribus, et propugnatoribus concipient? Aut quas meliores de eis imbibant opiniones?

Ego vero hæc olim considerans, simulque illud sapientissimi Trismegisti dictum, mente sæpius revolvens: Sine philosophia impossibile esse summe esse pium. Vehementem enim, subdit, amorem habet, et malorum omnium obliscitur, ea anima quæ suum didicerit authorem. Nam a bono discedere amplius non potest. Et Deo facta similis, vel pura fit mens, vel Deus evadit, aliam quam Peripateticam, veriorem in rebus reperiri posse philosophiam suspicatus sum. Cuius ope ad authorem nostrum, Deum nempe immortalem redire, ac puræ mentes, ac pene Dei evadere possemus. In eam igitur perquirendam, me totum conieci. Vetustissimorum, et Deo afflitorum sapientum dogmata, rationesque in adiutorium advocavi, ut si quod tanto malo, remedium aliquando, contemplando adinvenirem,